



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

fibile est meritum esse posterius termino, & per consequens Christum per opera subsequencia Incarnationem, eam de condigno vel de congruo promereri.

55. Tertiò suaderi potest conclusio, convellendo præcipuum Suaris fundamentum, initio articuli propositum. Merita Christi ut futura non potuerunt movere Deum ab æterno, nec de condigno, nec de congruo, ad decernendam executionem suæ Incarnationis: Ergo executionem illam mereri non potuit Christus de condigno nec de congruo. Consequentia patet, meritum enim executionis Incarnationis est illud duntaxat quod moraliter movet Deum, vel de condigno, vel de congruo, ad executionem decreti suæ Incarnationis. Antecedens verò probatur: Merita Christi ut futura, nullo modo præcedere potuerunt in scientia Dei decretum quod habuit exequendi suam Incarnationem: Ergo nec movere Deum ad habendum tale decretum. Consequentia est manifesta, nihil enim ut futurum movere potest divinam voluntatem ad habendum aliquod decretum, nisi ut futurum præcedat decretum illud, saltem in scientia Dei. Unde Thomistæ in Tractatu de prædestinatione docent, & Suarez ac Ruisius consentiunt, merita non movere Deum ad prædestinandos homines; quia cum sint effectus prædestinationis, non præcedunt ut futura in scientia Dei, sed eorum futuritio posterior est prædestinatione, seu decreto quo homines eliguntur ad gloriam, juxta illud D. Prosperi 2. de vocat. Gentium cap. 35. *Deus his quos eligit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis.* Antecedens verò probatur & explicatur: Cum merita Christi non possint intelligi ut futura, nisi eo ipso intelligatur Christus ipse futurus in tempore: Christus autem futurus in tempore concipi nequeat, non præsupposito decreto divino exequendi Incarnationem, manifestum est implicare omnino, quod merita Christi tale decretum in cognitione seu præscientia Dei præcesserint.

56. Dices, Christus & ejus merita cognosci potuerunt à Deo ut futura, præsupposita duntaxat intentione quam habuit sese incarnandi, abstrahendo à decreto illam intentionem exequendi: Ergo sic cognita & prævisa, movere potuerunt Deum ad volendum executionem Incarnationis.

Sed contra: Merita Christi non sunt futura, saltem infallibiliter, nisi ex vi intentionis efficacia illorum: Sed intentio non est efficax, si præscindat à voluntate executionis: Ergo falsum omnino est, quod Deus prævidere potuerit merita Christi ut futura, in intentione quam habuit sese incarnandi, abstrahente à decreto illam exequendi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Iccèt præcipua Adversariorum fundamenta soluta maneant ex dictis paragrapho præcedenti, exponendo rationes nostræ conclusionis, ut tamen eorum debilitas magis appareat, ea breviter proponemus ac diluamus.

57. Obijciat ergo primò: Principium meriti potest de potentia absoluta cadere sub merito operis procedentis ab ipso: Ergo potuit Christus per opera subsequencia Incarnationem, ipsam mereri. Consequentia patet ex supra dictis: Antecedens verò probatur primò, quia principium effe-

Tom. IV.

Activum actus potest ab ipso dispositivè causari, & de facto sic contingere in gratia habituali respectu actus contritionis, docuimus in Tractatu de justificatione, disputatione 1. art. 8. Ergo pariter principium meriti poterit ab illo meritorie causari. Secundò antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem Verbi, ut dicemus articulo sequenti, & tamen illorum gratia fuit effectus meritorum Christi, nedum in genere causæ finalis, verum etiam in genere causæ efficientis moralis, ut tenet communior Theologorum sententia: Ergo principium meriti potest cadere sub merito, saltem de congruo.

B Respondeo distinguendo Antecedens: Principium meriti purè effectivum, potest de potentia absoluta cadere sub merito operis procedentis ab ipso, transeat Antecedens. Principium meriti effectivum & formale, nego Antecedens, & Consequentiam. Nam gratia unionis non solum est principium effectivum meritorum Christi, sed etiam principium formale, non in esse physico, sed in genere moris; cum operationes Christi Theandricæ, à persona Verbi Divini, ut à forma, valorem infinitum in esse moris recipiant. Ex quo patet solutio ad utramque probationem Antecedentis, seu disparitas ad duo exempla ibidem adducta; nam actus contritionis non constituitur formaliter in ratione dispositionis ad gratiam, per ipsam gratiam, sed per propriam entitatem à gratia efficienter causatam; nec merita antiquorum Patrum, per Incarnationem Verbi constituta fuere formaliter, sed tantum ab illa efficienter moraliter, seu meritorie causata. Addo quod Christi merita præintelliguntur futura ante decretum conferendi gratiam antiquis Patribus, cum Christus sit causa meritoria prædestinationis hominum: at non præintelliguntur futura ante decretum exequendi Incarnationem, ut supra contra Suarem ostendimus: unde licet Christus gratiam antiquis Patribus meruerit, suam tamen Incarnationem mereri non potuit.

D Obijciat secundò: Christus mereri potuit executionem unionis hypostaticæ, si ejus merita ut futura prævideri potuerunt à Deo prius prioritate naturæ, quam vellet exequi intentionem quam habebat sese incarnandi: Sed potuerunt merita Christi ut futura ita prævideri à Deo: Ergo & Christus mereri potuit executionem suæ Incarnationis. Major est certa, si enim merita Christi ut futura, prius à Deo videri potuerint, quam vellet intentionem sese incarnandi exequi, movere potuerunt ipsum ad volendum executionem Incarnationis. Minor verò probatur. Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, est prior decreto illam exequendi: Sed in illa intentione Incarnationis, ut ita priori decreto executionis ejus, potuerunt merita Christi prævideri ut futura: Ergo prius prioritate naturæ quam vellet Deus exequi intentionem suæ Incarnationis, potuerunt merita Christi à Deo prævideri ut futura.

E Confirmatur: Licet prædestinatio hominum, in communi doctrina Thomistarum, fiat ante prævisa merita, prævisio tamen meritorum præcedit in mente divina decretum executionis talis prædestinationis, ut in Tractatu de prædestinatione docuimus: Ergo similiter, licet prædestinatio Christi, sive intentio Incarnationis, sit prior in intellectu Dei prævisione meritorum Christi, prius tamen merita illa prævideri potuerunt à Deo, quam decerneret exequi intentionem suam Incarnationis.

Qoo ij

58.

59.

60.

Disp. 2.
art. 1.
§. 2.
corol. 4.

§1. Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, distinguo Majorem. Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, ut abstrahit à sui efficacia, est prior decreto illam exequendi, concedo Majorem. Intentio quam habuit Deus sese incarnandi, ut efficax est, prior est decreto illam exequendi, nego Majorem. Sic enim considerata importat voluntatem executionis, subindeque non est illa prior. Unde quia merita Christi ut futura prævideri non potuerunt à Deo in intentione Incarnationis, nisi ut efficaci, & hæc intentio ut efficax non præcedit decretum suæ executionis, non potuit Deus priusquam veller executionem suæ Incarnationis, prævidere merita Christi ut futura. Ad confirmationem, nego consequentiam & paritatem: Ratio disparitatis est, quia merita hominis prædestinati non dependent ab executione prædestinationis ejus, tanquam à causa efficiente, sed potius è contra ipsa executio prædestinationis, est effectus meritorum prædestinati. At verò merita Christi habent pro sua causa efficiente, non solum intentionem Incarnationis, sive prædestinationem Christi, sed etiam ejus executionem, ut ex supra dictis patet.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

§2. EX dictis colliges primò contra Suarem supra citatum, & alios Recentiores, Christum nec meruisse, nec potuisse mereri suæ Incarnationis continuationem. Nā Incarnatio continuata idem est cum Incarnatione ut primò producta: Ergo si Incarnatio ut primò producta non possit cadere sub merito Christi, id etiam non poterit Incarnatio ut continuata. Consequentia patet, Antecedens probatur. Continuatio unionis hypostaticæ, nihil omnino addit supra ea quæ ex vi suæ primæ productionis ipsi competunt, non enim continuatur in esse per additionem alicujus, putà partis, gradus, aut etiam auxilij divini, vel actionis, quia est tota simul, & mensuratur duratione omnino indivisibili, scilicet æternitate participatà, cum sit omnino immutabilis & permanens, ut docet S. Thomas infra qu. 50. art. 2. in 3. dist. 21. qu. 1. art. 1. & ibidem ad Annibaldum.

§3. Dices, Licet unio hypostatica, ut continuata, non addat aliquid reale supra seipsam ut primò productam, addit tamen aliquid virtualiter, quia dicit seipsam ut habet successionem extrinsecam per coexistentiam ad nostrum tempus, quod non dicit unio, ut primò producta.

Sed contra: Principium meriti, utpote causa efficiens moralis præmij, debet realiter distinguì ab illo, sicut in simili dicitur de causa efficienti physica respectu sui effectus; quoad hoc enim est eadem ratio de causalitate physica ac de morali, cum etiam causalitas ista moralis sit realis. Ergo licet unio hypostatica, ut continuata & coexistens tempori, distinguatur virtualiter à seipsa ut primò producta, non potest tamen cadere sub merito Christi, cum talis unio, ut primò producta, sit principium totius meriti Christi, subindeque sub ejus meritum cadere nequeat, ut supra ostendimus.

§4. Confirmatur: Gratia viæ, quatenus continuata, nequit esse præmium meriti procedentis ab ipsa, quatenus primò producta; aliàs donum perseverantiæ posset cadere sub merito de condigno operum puræ creaturæ, cujus oppositum in Tra-

A statu de merito docuimus: At non alià ratione, nisi quia inter gratiam, quatenus primò producta, & quatenus continuatam, non intervenit realis distinctio: Ergo si continuatio Incarnationis non distinguatur realiter à prima ejus productione, non poterit cadere sub merito de condigno operum quæ Christus in primo suæ Incarnationis momento elicit.

Neque obstat quod per Dei potentiam potuerit unio hypostatica non esse in tempore futuro, & divina voluntas potuerit decernere Incarnationem, non decernendo ex vi hujus decreti continuationem illius: hoc enim sicut non arguit continuationem unionis fieri per additionem novæ realitatis, ita nec probat illam posse cadere sub merito.

B Colliges secundò contra Delugo, Vazquem, Ripaldam, aliosque Recentiores, Christum non meruisse Virginis maternitatem, hoc est ex Beatissima Virgine concipi & nasci, nec alias circumstantias Incarnationem antecedentes, vel concomitantes.

Probatür breviter: Principium mediatum meriti non potest cadere sub merito actus cujus est principium: Sed Beatissima Virgo fuit principium mediatum meritorum Christi Domini, quatenus fuit principium humanitatis, quæ exitit illorum meritorum immediatum principium: Ergo non potuit sub ratione principij, nec proinde sub ratione matris, sub eisdem meritis cadere.

C Respondet Delugo, Christum, etsi in primo sui esse, & in sui connaturali conservatione, dependentiam à Beatissima Virgine habuerit, in sui tamen conservatione miraculosa, qualiter fuit ante mortem conservatus, nullam ab illius concursu dependentiam habuisse, & ex meritis Christi prævisi in prædicto statu, fuisse electam Beatissimam Virginem in matrem ipsius. Itaque vult Christum oratione in horto ter iterata, sic timori mortis & impendentium suppliciorum laxasse habenas, & permisisse in se sævire, ut emorà & convulsà totius corporis compage, mors inevitabiliter ingrueret, nec arceri potuisset, nisi auxilio vi generationis maternæ debito, aliud validius, quo servaretur & fulciretur, singulari miraculo suffectum fuisset; & tunc humanitatem Christi hoc novo concursu servatam, & influxu B. Virginis exemptam, meruisse illius maternitatem, per opera quæ tunc exercuit.

D Verum hæc doctrina & solutio adeò subtilis est, ut desinat in aristam, ut bellè ait vir è Societate gravissimus. Nec solum futilis & absurda est, sed non videtur etiam aliquā specie impietatis carere, quod Christum redemptorem suæ matris, majorum, & subinde totius generis humani constituat, cum desinit esse filius Virginis, seu quod perinde est, cum nihil servavit eorum quæ ex generatione matris, & ex filiatione receperat.

E Addo quod Augustinus de prædestin. Sancta, cap. 15. loquens de Christi conceptione ex Virgine, sic ait: *Neque retributa est ista generatio, sed tributa: ut alienus ab omni obligatione peccati de Spiritu & Virgine nasceretur*: At si fuisset præmium meritorum Christi prævisi miraculose viventis & operantis, in prædicto statu fuisset retributa, & non gratis tributa: sicut quia gratia antiquorum Patrum fuit præmium meritorum Christi, non dicitur tributa, sed retributa, comparative ad Christum: Ergo juxta Augustinum conceptio Christi ex Virgine, subindeque Bea-